

insequentium Numerorum, h. e. omnis Multitudinis Potestas & Perfectio dictus sit. Testis est Joh. Protospatharius, ad Hesiodi Dies, quem citat Meurs. c. 6. τελεία ἀρεὴ ἢ τετρας, καὶ ἀξία τιμᾶσθαι. ἐπιμάτο δὲ καὶ ὡς τὰ τοῖς πυθαγορείοις. h. e. perfectus itaq; est quaternarius, atq; dignus honorari; ideoq; honorabatur à Pythagoreis. Disertius adhuc videtur rem proponere Lucianus pro lapsu in salutatione admissus: Εἰσὶ, inquit, ἢ καὶ οἱ τὴν τετρακτὴν τὸν μέγαστον ὄρκον αὐτῶν (τῶν Πυθαγορείων) καὶ τὸν ἐντελῆ αὐτοῖς ἀριθμὸν ἀποτελεῖν i. e. Sunt verò etiam qui dicant, quaternarium maximum ipsorum (Pythagoreorum) iuramentum ac perfectum ipsis numerum absolvere. Quem in finem laudatus Meurs. d. l. p. 56. adducit, quod licet antiquitus ter beatos vivos dixerint, mortuos tamen quater, ceu plenissimè & perfectissimè jam beatos, nec ulli mutationi obnoxios prædicaverint. Itaque ex Homeri Odyss. l. 5. Virgillii Æneid. i. & Anonymo in Theol. Arithm. demonstrat, quod perfectio beatitudinis summæ quaternario fuerit absoluta. Photius adhuc plures encomiasticos titulos, queis præ aliis quaternarius affectus est, prolixâ serie, in excerptis suis è Nicomacho adducit; ex quibus pauca quædam transcribemus, ἢ ἢ τετρας, inquit, πάλιν αὐτοῖς θεῶμα μέγιστον, ἄλλη θεός. πολύθεος, μᾶλλον δὲ πάνθεος. Ἐστὶ γὰρ αὐτοῖς τῶν τε φυσικῶν ἀποτελεσμάτων πηγὴ, καὶ κλειδῶχος τῆς φύσεως, h. e. quaternarius magno ipsis est miraculo, novus Deus, & quidem multiplex, vel potius, omnideus. Fons enim ipsis est naturalium effectuum, atq; natura claviger.

Scilicet, quoniam Quaternarius (1.) formaliter spectatus in congerie multitudinis universæ non tantum prima potestas (primus quadratus) est, ex primâ multitudine, 2. quatenus in semetipsam reflectitur constituta, totque proprietatibus egregiis omnem multitudinis vim in se complectens; sed & intel-

tel-